





**D. THOMÆ ITTIGII,**  
 SS. Theol. Prof. P. Canonici Misenenfis,  
 Consistorii Elector. & Ducalis Saxonici, nec non Facul-  
 tatis Theol. Assessoris, ad D. Nicolai Pastoris &  
 Diœceseos Lips. Superinten-  
 dentis

**PRÆLECTIONES  
 PUBLICÆ,**

*Termino Gratia Peremptorio,*

*in nupera disputatione  
 de*

**Statu Induratorum**

*denuo asserto,  
 opposita,*

*quas*

**Publico invidere noluit**

**Fidelis Auditor.**



**A. C. MDCCI.**

*Ad Virum Magnificum, Summè Reveren-*  
*dum & Excellentissimum*

DN.

# D. THOMAM ITTIGIUM.

**C**Um multorum desideriis expetita fuerint, *Vir summè Reverende*, quæ in prælectionibus publ. de Terminò gratiæ peremptorio per aliquot hebdomades communicasti, nec tamen per hos festos dies de iisdem publicandis TE compellare, nedum hoc impetrare licuerit; nihilominus, rogatus à viro optimo, qui ad sumptus præbendos sese obtulit, has Tuas prælectiones evulgare sustinui, firmiter persuasus, *Magnificentiam Tuam*, quæ publice dictavit, publico non invisuram esse. Nec etiam ii, qui mecum hisce interfuere lectionibus, ægre ferent, quod ea, quæ calamis exceperunt, typis excubiri curaverim, cum omnes fere exoptaverint, ut sine describendi molestia aliis & Patronis & Amicis communicare possint, quæ in hac nova controversia viva voce à TE edocti sunt. Ut igitur benigne feras, *Vir Magnifice*, hanc Tuarum lectionum editionem, est quod ore omnium, qui divinæ favent veritati, ea, quæ decet, observantia rogo.

Vale,

MDCCLXXIII



I. N. J.

*Thesis I.*



Um Scriptura unica controversiarum fidei norma fit, ad hanc veritatis regulam etiam exigenda erit quæstio: *An Deus induratis in hac vita omnem suæ gratiæ aditum præcludat?* Qua de re hoc tempore inter Pontificios quosdam Theologos acriter disceptari cœpit. Scripsit enim paulò ante obitum suum *Cœlestinus Sfondrata* tractatum, qui inscribitur: *Nodus Prædestinationis dissolutus*, cujus Part. I. pag. 172. asserit, quod Deus etsi ab homine desertus, nunquam tamen hominem etiam obstinatissimum ita deserat, ut non ei gratiam tribuat, qua pœnitere possit. Similia passim in hoc tractatu profert; & illud quidem haud inficiatur, Deum, qui omnibus creaturarum ac præsertim hominum actionibus certum numerum tempusque præscripsit, decrevisse, quod tanto & non majori tempore peccatoris pœnitentiam expectare eoque elapso homi-

A

ni

ni vitam & simul cum vita omnem pœnitentiæ & veniæ spem auferre velit ; negat tamen talem peccatorum mensuram à Deo statui, quæ ulli peccatori adhuc viventi & ratione utenti vel ob peccatorum magnitudinem vel ob eorum multitudinem & diuturnitatem omne pœnitentiæ auxilium & sufficientem gratiam subtrahat, pag. 310. seqq. idque longa exemplorum serie à Caino usque ad Julianum Apostatam confirmat pag. 333. seqq. Verum huic Sfondratæ sententiæ alii Pontificii se opposuerunt, ut *Autor notarum in XL. Propositiones ex Sfondratæ nodo excerptas, Proposit. 30. 31.* item *Autor Responsionis ad Nodum Sfondratæ dissolutum Thes. 74.* & alii. Neque tamen defuerunt, qui Sfondratæ sententiam vindicarent, ut *Autor disputationis notarum nodo Sfondratæ dissoluto iniustarum in dispuet. notæ 31. 32.* ubi & plures alios Pontificios pro Sfondratæ sententia allegat, & inter hos *Gabrielem Pennottum*, qui in Propugnaculo humanæ libertatis Lib. VII. c. 19. ait : Nullus est, quantumcumque nequissimus & perditissimus peccator, quem Deus, quamdiu in cursu hujus vitæ constituitur, auxiliis ad resurgendum opportunis & ad salutem assequendam necessariis destituat. Eadem controversia etiam à Lutheranis quibusdam Theologis ventilatur, postquam Patroni libelli de peremptorio salutis humanæ termino peremptorium illum gratiæ terminum inflexo quæstionis statu ad obduratos restrinxerunt.

## Thesis II.

Esse autem haud leve hujus controversiæ momentum docet ex *Nostratibus Calovius Considerati-*

one

one Arminianismi cap. 20. th. 3. Docet enim ibi, recte quidem Arminianos improbare Socinianam doctrinam, qua docetur, Deum saepe numero in hac vita gratiae ostium sic occludere, ut nulla veniae aut misericordiae divinae recuperandae spes sit; sed male negare eosdem, quod sententia haec adeo falsa & noxia sit, ut tolerari non possit; & pejus in eo peccare, quod eos, qui hanc sententiam fovent, si rationibus ab ea abduci nequeant, iudicio suo frui sinant. Rationem, cur haec Sociniani erroris tolerantia in Arminianis probari non debeat, hanc subjicit; quod certissima haec sit ad desperationem via, si credas aut persuasus sis, Deum gratiae ostium nonnullis hominibus ita penitus occludere ideoque non possit non ista sententia noxia & damnabilis haberi. Et quomodo, inquit, tolerabitur illa doctrina, qua gratia Dei labefactatur & immisericordiae calumnia benignissimo Domino nostro struitur, ut de Novatianis, erroris hujus autoribus, quondam professus est Eusebius Lib. VII. Histor. Eccles. cap. 8. quodnam asylum supererit miseris peccatoribus, ad quod se recipiant, siquidem semper metuendum sit ipsis, ne sint ex eorum numero, quibus gratiae ostium penitus sit occlusum. Haecenus *Calovius*. Inter Pontificios sententiam de gratia induratis adhuc viventibus penitus negata non solum erroneam, sed & impiam pronunciat *Dominicus à Soto*, adductus ab *Autore disputationis notarum* pag. 305. cum ista sententia homines viventes diabolis aequiparet, eosque in scopulum desperationis abigat: Quin etiam errorem hunc blasphemum esse dicit & impium in Christi meritum, quasi non esset redemptor universalis. Notamus hoc contra *Bescheferum*, cujus modestia nimis liberaliter à

nonnemine laudatur, nec non contra Autorem, qui vult videri *Pastor Silesius*, in *kurzen Entwurff* / ut & contra Autorem epistolæ ad filium, qui utriusque sententiæ autores haud difficulter inter se conciliari posse statuunt.

### *Thesis III.*

Sacram scripturam si consulamus, ea testatur, nulli homini, dum vivit, omnem divinæ gratiæ aditum præcludi. Probant hoc primò illa scripturæ dicta, quæ universalem Dei erga homines benevolentiam & desiderium omnium conversionem & salutem appetens testantur, quæ dictum legitur Ezech. XVIII. v. 27. & 32. item Cap. XXXIII. v. 11. Contra quod in Dissertatione de statu induratorum thes. 33. excipitur, quod absurdum sit ex illo loco velle obduratis gratiam usque ad finem vitæ promittere, & hæc ratio adducitur, quod illi obdurati nec velint nec possint pœnitentiam agere. Verùm hoc non est rationem adducere, sed principium petere, cum hoc sit in quæstione, an dentur tales penitus indurati, qui non possint converti, & contrarium ex hoc ipso dicto probari possit: unde rectè *D. Sebast. Schmidius* in Disputat. de pœnitentia Impii Thes. 18. ex hoc Ezechielis oraculo colligit, voluntatem Dei misericordissimam in objectum miserabile & convertibile ferri. Hoc autem objectum convertibile dicit esse omnem hominem, nullo excluso, cum omnis homo sit convertibilis; Diabolus autem tanquam objectum inconvertibile excludatur. Idem thes. 22, 23. ex eodem Prophetico dicto colligit, subjectum pœnitentiæ esse impium & quidem omnem.

Sta-



Statuit ergo hic Theologus, nullum hominem viventem, sed diabolum esse inconvertibilem, idque ex hoc loco Ezechielis infert. Ex eodem loco *Dannbauerus* Lactis Catechetici Part. VI. Conc. 24. colligit, Deum nolle mortem peccatoris in Spiritum Sanctum. Atqui si ne quidem peccatores in Spiritum Sanctum hic excludi debent, nullus tam induratus erit, cujus mortem Deus velit. Quid? quod ipse *Autor Disputationis de statu induratorum* agnoscit, quod Deus Ezechiel. XVIII. v. 32. & Cap. XXXIII. v. 11. de voluntate sua gratiosa erga omnes antecedente loquatur. Si autem conferantur Adversariorum de voluntate antecedente hypotheses, haud difficulter demonstrari poterit, non dari in hac vita homines, quibus aditus ad conversionem fit à Deo planè præclusus. Sic enim argumentamur: *Quoscunque Deus voluntate sua antecedente salvos esse cupit, illi sunt convertibiles.* Atqui etiam induratissimos, quin & peccatores in Spiritum Sanctum Deus ex voluntate antecedente salvos esse cupit. *E. etiam induratissimi, quin & peccatores in Spiritum Sanctum, sunt convertibiles.* Major est *Autoris* der ersten *Verlage* pag. 36. Minor est *Autoris Epistole ad Rostenschierum* pag. 19. & 40. His autem præmissis positis Autor etiam conclusionem admittere tenetur, quæ ipsius sententiam de statu induratorum funditus evertit. Sin Conclusionem admittere recuset, necesse est, ut præmissarum alterutram retractet. Et miror sanè, quod minorem propositionem non jam pridem revocaverit. Etsi enim ea vera sit, palmaria tamen ejus sententiæ penitus refragatur. Siquidem *avsa* sunt, quod Deus induratissimos quosque voluntate antecedente salvos velit, & tamen iisdem omnem

mnem pœnitentiæ & gratiæ aditum jam præcluserit. Hæc, inquam, simul consistere non possunt, nisi forte quis dicat, Deum voluntate antecedente induratissimos quosque salvos esse velle, quatenus antea hujusmodi homines salvos esse voluit, antequam in statum indurationis incidere. Verum neminem puto eò usque absurditatis processurum. Si enim licet dicere, quod Deus induratissimos quosque antecedente voluntate salvos velit, quatenus antea, cum nondum indurati essent, eos salvos voluit, licebit etiam dicere, quod Deus diabolos & damnatos salvos esse velit, quatenus diabolos, antequam laborerentur, & damnatos, antequam in gehennam detruderentur, salvos voluit. Quæ interpretatio quam absurda sit, proluxa demonstratione haud eget. Præterea si tali modo antecedens voluntas explicetur, dulcedo promissionum Evangelicarum prorsus evanescit. Ponamus, Deum dixisse, vivo ego, nolui mortem peccatoris, antequam induratus esset: quid solatii inde haurire potuissent desperabundi Israëlitarum, quorum corda indurata hactenus fuerant? Retius ergo *Dannhauerus* in *Hodomoria Calviniana Phantasmate VI. pag. 1376.* docet, affectum misericordiæ divinæ in hoc Prophetico oraculo expressum esse catholicum, non solum subjecto, cum Evangelia sint latissimæ interpretationis, nec hic excipi impius convertibilis ullus debeat, quem Deus non excipit; (is autem nullum hominem viventem excipit) sed etiam tempore usque ad ultimum vitæ halitum, usque ad ultimum hominis esse & primum non esse, post quod primum non esse vivere definit. Certè Deus apud Prophetam deficientes animo Israëlitas per argumentum ab universali sua erga lapsos misericordia deprom-

promptum erecturus, sine exceptione ullius hominis viventis & ullius temporis mortem antecedentis se nolle mortem peccatoris, sed ejus conversionem ac vitam expetere juramento interposito testatur. Unde & *Varenius* in Theologico Breviario pag. 189. ad quæstionem: An Deus in ipso damnationis instanti optet vel desideret hominis impii mortem vel damnationem? negativè respondet, cum Deus cap. XXXIII. Ezechielis v. II. non solum clarissimè pronunciet, sed etiam per vitam suam juret, se nolle mortem impii, & quidem non modo impii pœnitentiam acturi, sed etiam impii in ipso improbitatis actu finaliter morientis. Quamobrem haud absurdum est, ex oraculo hoc Prophetico concludere, quod induratis usque ad mortem gratiæ fores pateant; absurdum potius est contra perspicuam oraculi hujus veritatem illis omnem pœnitentiæ & gratiæ spem præcludere, quorum conversionem & vitam benevola Dei voluntas expetit & serio intendit. Non obstat nostræ sententiæ, quod *Autor disputationis de induratorum statu* objicit, Deum non absolute nolle mortem peccatoris, ideoque multos in impœnitentia decedere. Nam ex eo inferri nequit, quod illis, qui in impœnitentia decedunt, omnis Dei gratia, dum adhuc viverent, denegata fuerit. Nec obstat, quod ex quadam *D. Kortholti* disputatione nondum mihi visa objicitur, sermonem esse Prophetæ non de morte corporali, sed spiritali & æterna, à qua justus sit exemptus & cui impœnitens necessario & inevitabiliter sit subjectus, quod de naturali morte dici nequeat, cum multi impœnitentes naturali morte moriantur. Non enim video, quod inde contra nostram sententiam exculpi possit? Scio, quod

quod Nostrates Theologi contra quosdam Calvinianos & Socinianos probent, Ezechielem imprimis de æterna morte loqui, qui tamen interim temporalem mortem haud planè exclusam volunt, quippe per quam impii in impœnitentia & impietate sua morientes æternæ morti traduntur, sive naturali sive violenta morte pereant. Sed hæc sententiæ nostræ nihil obsunt, & ne hoc quidem, quod justus à spirituali & æterna morte exemptus & impœnitens eidem inevitabiliter subjectus dicitur: Intelligenda enim hæc sunt sub conditione, si justus in justitia maneat, & impœnitens in impietate sua perseveret. Nam aliàs & justus in mortem æternam incurrere, & impœnitens à morte spirituali & æterna liberari potest, cum ipse Propheta v. 12. impio, quocunque die conversus fuerit, impietatem suam haud nocituram esse doceat. Cæterum etiam Sociniani nonnullis hominibus in hac vita regressum ad pœnitentiam & gratiam denegant, ideoque hæc Ezechielis oracula variis exceptionibus pervertere conantur, quibus prolixè respondet *Theodor. Thurnmius* in *Impietate Photiniana* à pag. 423. usque ad pag. 445. Venia igitur peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris. Si quis aliter de justissima Dei pietate sentit, non Christianus, sed Novatianus est, ut loquitur Gennadius Massiliensis cap. 80. de dogmatibus Ecclesiasticis, ubi pœnitentiã peccata aboleri indubitanter credit, etiam si in ultimo vitæ spiritu admissorum pœniteat.

### *Thesis IV.*

Hanc benevolam Dei omnium hominum salutem cupientis voluntatem alia etiam Scripturæ dicta pro-

pro-

probant, q̄valia sunt, ut alia jam taceamus, duo illa  
 notissima, unum Pauli I. Tim. II. v. 4. alterum Petri  
 2. Pet. III. v. 6. in quibus dictis promissiones Evange-  
 licas non limitate universales, sed simpliciter univer-  
 sales contineri *B. Höpferus* Loc. XXIX. Thes. 10.  
 animadvertit. Quod etsi *Autor disputationis de termi-  
 no gratiae revocatricis* Thes. 44. approbet, ideoque  
 Thes. 1. des deutlichen Vortrags hæc dicta adducat, qua-  
 si universalem Dei gratiam omnes homines salvos cu-  
 pientis omnibusque necessaria ad salutem auxilia sub-  
 ministrantis inde probaturus: Parum tamen sui me-  
 mor in Epistola ad Rosteuscherum pag. 23. asserit,  
 quod, hæc dicta ad omnes peccatores etiam relapsos,  
 sed pœnitentes pertinere, nemo sanæ mentis negare  
 ausit. Ego verò neminem sanæ mentis id affirmare  
 posse puto ob rationes, quas alibi (*Vertheidigung* pag.  
 34. seqq.) adduxi. Piscatori Paulinum dictum limi-  
 tanti, & hanc rationem adducenti, quod Deus nolit re-  
 probos servari, respondet *B. Gerhardus* in disputat. de  
 Prædestinatione Thes. 24. inversam esse hanc proce-  
 dendi viam, cum prius præconcepta opinio de absoluto  
 reprobationis Decreto probari, quàm universalitas Apo-  
 stolici dicti limitari debuisset. Eidem Piscatori dictum  
 Petrinum ad electos restringenti respondet *Gerhardus*  
 thes. 26. generale Apostoli enunciatum non esse ex  
 præconceptis opinionibus limitandum, cum Deus etiam  
 reprobos converti velit, Rom. II. v. 4. 5. Pari ergò  
 ratione ob præconceptam de Terminò peremptorio  
 opinionem dicta hæc ad pœnitentes restringenda non  
 sunt, cum Deus, qui omnium hominum salutem cu-  
 pit, obduratos etiam, quantum in ipso est, converti ve-  
 lit. Undè *Brochmandus* in Loco de Peccato cap. 8.  
 B quæst.

qvæst. 2. pag. 192. ex his ipsis Pauli & Petri dictis probat, putidissimam esse assertionem eorum, qui dicunt, ita Deum excœcare Judæos, Turcas & Gentiles, ut, licet velint, non tamen possint Christum cognoscere.

### *Thesis V.*

Deindè sententiam nostram probant dicta, quæ omnia peccata sanguine Christi expiari posse asserunt, è quibus unicum nunc adduxisse sufficiat ex 1. Joh. I. v. 7. quod dictum *D. Joh. Olearius* in dissertatione ante aliquot annos hîc Lipsiæ habita explicans thes. 19. observat, sanguinem Christi non solum à peccatis, quibus nondum induratio accessit, homines emundare, sed etiam à peccatis cum induratione conjunctis. Ac ne quis excipiat, quod fortè tantum de induratione, quam aliqui partialem & inchoatam vocant, locutus fuerit, in eadem thesi docet, quod sanguis Christi non solum à peccato in filium hominis, sed etiam à peccato in Spiritum sanctum emundet. Hoc enim peccatum irremissibile esse dicit, non ob defectum sanguinis emundatorii, sed ob malitosum affectum peccatorum hujusmodi, qui sanguinem Christi profanum ducunt. In culpa est, inquit, pes Christum finaliter conculcans, cujus vice manus fideliter applicans requirebatur. Concedit ergò, non deesse peccatoribus in Spiritum Sanctum manum Dei offerentem, sed ex parte talium hominum deesse manum fideliter applicantem, cujus vice pedem adhibent, quo Christi sanguinem conculcant. Undè ex Olearii sententia dici non potest, quod peccatores in Spiritum Sanctum ob Terminum peremptorium ante fata fixum & jam elapsum  
con-

converti non possint. Certè etiam *Dannhauerus* in *Hodosophia* pag. 1422. observat, impossibilitatem pœnitentiæ in hujusmodi peccatoribus, de qua Paulus Ebr. VI. v. 4. seqq. agit, non esse impossibilitatem decreti peremptorii, seu impossibilitatem omnimodam, qua Deus decreverit, ejusmodi Apostatis nunquam dare salutarem pœnitentiam, ipsos judicio suo excœcatos & induratos relinquens; sed impossibilitatem vitii humani. Ex quo patet, *Dannhauerum* longè aliter sensisse, quam nunc nonnulli sentiunt, statuentes, peccatores in Spiritum Sanctum ob terminum gratiæ elapsum converti non posse, cum contra *Dannhauerus* hunc impossibilitatem pœnitentiæ non ex decreto peremptorio; sed ex humano vitio deducat. Idem *Dannhauerus* in eadem *Hodosophia* pag. 688. dicit, Christi victimam esse catholicam effectum, quia omnem fœtorem peccati in hac vita perpetrati absumit, ne finali quidem impœnitentia exclusa, terminatrice hujus seculi, non inchoatrice miserrimi ævi, quatenus illa adhuc in hac vita existit janua nondum clausa. Ex quibus verbis patet, quod *Dannhauerus* statuerit, januam gratiæ non prius claudi, quam finita hac mortali vita miserrimum impiorum ævum inchoatur, ideoque hominem, etiam in fine vitæ pœnitentem, ad gratiam pervenire posse, cum Christus etiam pro finali impœnitentia satisfecerit, non quidem, quatenus illa est inchoatrix miserrimi ævi, sed quatenus est vitæ hujus temporalis terminatrix. Ultimum enim *vov* incredulitatis *Dannhauerus* pag. 1497. in duo momenta distingvit, quorum unum ad hoc, alterum ad futurum seculum pertinet, & non quidem pro hoc, attamen pro illo utiqve satisfactum statuit. Conferantur, quæ *Meis-*  
*nerus*

*verus* in Quæstionibus vexatis Quæst. 3. differit, ubi probat, Christum etiam pro finali impœnitentia satisfecisse, neque hanc satisfactionem frustraneam dici debere, cum homo impœnitens ac jamjam moriturus pœnitere, credere ac salvari possit, quod exemplo latronis in ultimo agone conversi ostendit. Ac ne quis aliam induratorum rationem esse objiciat, sententiam suam etiam ad Judam proditorem applicat, qui etsi conversus non fuerit, tamen adhuc in ultimo vitæ suæ termino converti potuisset. Quærit enim, num Christus pro suspendio Judæ satisfecerit? & respondet; suspendium Judæ dupliciter considerari posse. a) respectu præparationis & actuum antecedentium, ut quando Judas de suspensione sua consilium iniit, cum funem arripuit, alligavit, collum immisit. ß) respectu ultimi t̄s v̄v & momenti, quo simul desperavit, fauces sibi interclusit, & vitam finiit. Quoad posterius agnoscit, nullum gratiæ locum amplius Judam habuisse, quia illud suspendii momentum, quo vita ipsi erepta est, simul fuit initium damnationis, sicut omne v̄v semper est finis præteriti & initium futuri temporis; ita quidem ut Judas statim in inferno esse cœperit, simul ac spiritum emisit. Priorem autem respectum quantum attinet, dicit, ad eum Christi meritum omnino sese extendere, qui omnino pro suspendio Judæ cogitato & parato satisfecerit, ita quidem, ut ultimo ultimæ horæ quadrante, cum adhuc in vivis esset, omnino pœnitere & salutem adipisci potuisset.

### *Thesis VI.*

Ulterius sententiam nostram probant dicta ad universalem vocationem pertinentia, quale est illud, quod



quod Act. XVII. v. 30. 31. legitur, quem locum de omnibus & singulis hominibus agere, Theologi nostri unanimiter docent, ac in his, qui ex instituto hoc dictum explicant, *D. Joh. Schmidius* In Disputat. de Pœnitentia ad hunc locum Argentorati Anno 1656. habita, *D. Joh. Cyprianus* in Disputat. : inaugurali ad hunc locum de vocatione hominum universali Lipsiæ Anno 1678. habita, *D. Sebast. Schmidius* Colleg. Bibl. Novi Testamenti loco XIV. dict. 2. p. 262. — Si autem Deus omnibus ubique locorum hominibus juxta hoc dictum pœnitentiam agere præcepit, omnibusque fidem proposuit, etiam utique induratos ad pœnitentiam excitavit, & consequenter dici non potest, quod in tali statu fuerint indurati, ut per Apostolos aliosque Evangelii præcones nullo modo converti potuerint. *Quis enim Deus pœnitentiam agere præcipit, illis conversionis gratia nondum præclusa est. Atqui induratis æquè ac non induratis Deus pœnitentiam agere præcepit. E. induratis conversionis gratia nondum præclusa fuit.* Major clara est: Si enim Deus hominem aliquem, cui gratiæ fores jam præclusit, ad pœnitentiam invitaret, mendax esset & hypoerita. Minor ex loco allegato Actorum patet. Cum enim Deus omnibus ubique locorum hominibus pœnitentiam agere præcepit, etiam induratos ad pœnitentiam vocavit, nisi induratos vel homines fuisse, vel alicubi locorum in terra fuisse negemus. Neque dubium est, quin multi ex induratis per Apostolorum prædicationem conversi fuerint. Cæteris autem, qui indurati manserunt, gratiam conversionis saltem oblatam fuisse, *D. Cyprianus* in Disputatione allegata cum aliis rationibus tum etiam argumento à serâ Dei omnium hominum

salutem intendentis voluntate deprompto probat, ita argumentatus: Deus serio vult omnium hominum salutem. E. etiam vult omnibus media salutis conferre, gratiam scilicet, qua convertantur &c. Sect. II. thes. 66. ubi docet, Deum illos etiam ad pœnitentiam vocare, qui benignitate ejus insuper habita iram sibi aggravant, quæ induratorum est descriptio Rom. II. v. 4. 5.

### *Thesis VII.*

Novam Classeni dictorum Scripturæ pro nostra sententia constituunt illa, quæ etiam induratissimis gratiam oblatam asserunt, è quibus allegasse nunc sufficiat Esa. LXV. v. 2. Agi enim hoc in dicto de obduratis Judæis, irrefragabilis interpres docet, nempe Paulus Rom. X. v. 22. & hunc Prophetici hujus oraculi usum ostendit etiam *B. Du. D. Carpzovius* Disput. 2. Apologetica contra Arnoldum loco 2. ubi cum de Pharaonis induratione egisset, Thesin XIIIam his verbis concludit: Nunquam Deus ita subtrahit alicui gratiam suam NB. in hac vita, ut non interim totâ die expandat manus suas ad populum rebellem, qui ambulat in via non bona post cogitationes suas Esa. LXV. v. 2. Rom. X. v. 22. Quam jejune dictum hoc Propheticum interpretetur *Autor Disputationis de statu induratorum*, ex ejus thesi 29. videri poterit, ubi hoc dictum de quibusdam Apostatis, Idololatriis & aliis malignitate morum infectis explicat, addens, etiam in hac turba fuisse quosdam contumaces & penitus induratos, idque probat ex vers. 12. & 13. Quæ mea, imò non mea, sed Apostoli Pauli sit de hoc dicto sententia, alibi in der *Vertheidigung* pag. 13. seqq. indica-

dicavi. Quâ verò ratione motus Autor disputationis versu 12. & 13. de penitus induratis, v. 2. de nondum penitus induratis agi statuatur, neminem tam perspicacem fore puto, qui indagare possit. Interim Apostolo Paulo credo, qui versu 2do de Judæis obstinatissime induratis agi loco supra allegato docet, indeque colligo, Dei manum etiam ad induratissimos expandi, neque dubito, quin Deus etiam ad illos, de quibus v. 12. & 13. agitur, manus suas expandit, cum & illi ad populum istum rebellem pertineant, ad quem Deus manus suas expandit. Eadem est ratio dictorum, quæ *Autor disputationis* eodem loco ex Jeremia & Ezechiele adducit. Dicit enim, in Jeremia Cap. III. v. 12. compellari Israëlitas non penitus induratos, etsi in ea turba contumaces quoque & penitus indurati fuerint, quod probat ex v. 20. cujus assertionis & probationis nulla planè dari potest ratio. Cur enim quæso illa domus Israël, de qua v. 20. agitur, penitus indurata dicitur? Num fortè ideò, quod cum muliere perfida comparetur? Atqui Deus statim sub initium capitis III. etiam Israëli adulteræ, si redeat, gratiam promittit; & illa quoque domus Israël, quæ v. 12. compellatur, adultera fuit, ut ex v. 13. patet, cui tamen Autor disputationis hanc gratiam facit, ut eam non penitus induratam fuisse dicat. Rectius ergò *D. Sebast. Schmidius* in comment. ad h. l. observat, v. 20. objectionem aliquam tacitè formari, cur Deus Israëlem adulteram recipere velit? ad quam Deus in hoc versu respondere incipit, utique perfidæ mulieris instar Israëlem egisse, sed tamen de ista perfidia dolere, quæ pœnitentia v. 21. describitur, undè v. 22. nova promissio gratiæ sequitur. Absurdissimum verò est dicere, quod  
Isra-

Israëlitæ de quibus v. 20. agitur, tales penitus indurati fuerint. Nam invitatio ad pœnitentiam & adjecta gratiæ promissio, quæ v. 12. legitur, & sic inde in hoc capite repetitur, etiam ad illos Israëlitæ pertinet, quorum inobedientia v. 20. describitur, quod neminem nisi omni judicio carentem negaturum confido. Et ipse Disputationis Autor concedit, cum in turba eorum, quos Propheta v. 12. allocutus est, contumaces illos & penitus induratos, quos vocat, fuisse dicit, de quibus v. 20. agitur. *Quoscunque autem Deus cum promissione gratiæ ad pœnitentiam invitavit, illis nondum fores gratiæ præclusit.* Atqui Israëlitæ illos, de quibus v. 20. agitur, Deus cum promissione gratiæ ad pœnitentiam invitavit. *E. Illis Deus gratiæ fores non præclusit.* Major ex eo patet, quod alias promissiones Dei illusoriæ essent & hypocriticæ, quod de sanctissimo Numine vel cogitare blasphemum est, ut monet *Rechenbergius* in Disputat: de Jure Dei in domum Israël Cap. 2. Thes. 32. Minor ab *Autore disputationis de statu induratorum* conceditur, ideoque non video, cur Israëlitæ, de quibus v. 20. agitur, penitus induratos, seu tales fuisse dicat, quibus Deus omnem gratiæ aditum præclusit. Rectius *Rechenbergius* in Disputatione paulò ante allegata Cap. 1. Thes. 4. asserit, quod Deus instar figuli, distorta vasa confringentis & nova conficientis, Israëlitæ in sua manu vel potestate ita habuerit, ut illos, si per flagitia & impœnitentiam vasa distorta fierent, confringere & disperdere, aut si ducti pœnitentia resipiscerent, ceu nova gratiæ vasa conservare potuerit. Hanc autem juris Dei in domum Israël cum jure figuli in massam collationem sic instituit, ut nullum discriminis inter Israëlitæ penitus induratos

dura-

duratos & non penitus induratos vestigium appareat. Ezechielem quantum attinet, dicit *Autor Disputationis de statu induratorum*, quod Cap. XI. v. 19. de non penitus induratis, v. 21. de penitus induratis agatur, quod ego non credo, cum nulla hujus rei ratio adducta fuerit, nec ulla dari possit. Etsi enim Deus v. 21. gravissimam poenam illis minetur, qui secundum pravitatem sui cordis ambulant, minimè tamen dicit, quod gratiæ fores in hac vita illis præcluserit; sed potius ideò illis mala comminatur, ut minis territi resipiscant. Locus *Hülsemanni* ex Commentario ad Cap. VI. Jerem. v. 12. additus, non probat, dari tales penitus induratos. Quamvis enim dicat, quod aures incircumcisæ significant extremam contumaciam, qualem Judæis Stephanus objecit Act. VII. v. 15. minimè tamen ejusmodi contumaciam intelligit, quæ nullis remediis curari possit. Nam in Aphorismò theoretico ad hunc locum expressè scribit, quod incircumcisæ aures & impotentia audiendi in hoc Prophetæ loco non significant indurationem, quæ incurabilis sit, ut Calvinistæ exponunt; sed contractum & acquisitum malitiæ habitum ut Act. VII. v. 15. Ex quibus verbis *Hülsemanni* discimus, quod sententiam de induratione incurabili pro Calviniana habuerit.

### *Thesis VIII.*

Plura argumenta pro nostra sententia ex scriptis variorum Terminò peremptorio oppositis hauriri possunt. Placet verò & alterius partis argumenta, quæ ex scriptura proferuntur, audire. Et *Autor* quidem *disputationis de statu induratorum* thes. 28. induratos  
C illos,

illos, quibus jam in hac vita omnem gratiæ aditum præcludi fingit, in duas classes dispescit. In prima Classe ponit irregentos totaliter induratos, quales describi ait Rom. I. v. 28. ubi fit mentio eorum, qui dati sunt in sensum reprobum & Ephes. IV. v. 18. ubi fit mentio τῶν ἀπηλγηκότων, eorum, qui dedoluerunt. His ergo omnem gratiam adhuc in vita constitutis denegat. Verum probare debebat Autor, datos in reprobum sensum & ἀπηλγηκότας converti non potuisse, nec ullum ex eorum numero conversum fuisse. Scripta Apostoli potius contrarium evincunt, ut notavit Rappoltus, qui in Disputatione de Excœcatione Impiorum thes. 43. probaturus, ab excœcatione & induratione dari regressum ad pœnitentiam, secundo loco hoc argumentum adducit, quod Paulus Gentiles traditos in reprobam mentem & contra naturæ instinctum cynædicis fœditatibus deditos fuisse scribat, Rom. I. v. 21. 24. 26. seqq. & tamen I. Cor. VI. v. 9. II. testetur, quosdam ex his fuisse sanctificatos, justificatos & ab istis flagitiis mundatos. Hanc Rappolti sententiam refutaturus Autor disputationis de statu induratorum, coccysum suum solennem repetit, dicens, Romanos illos, de quibus Paulus loquitur, in peccatis regnantibus adeo occalluisse, ut converti non potuerint, ideoque Paulum in Epistola ad Corinthios loco citato non loqui de ejusmodi hominibus in reprobum sensum datis, sed tantum de gravioribus inter Corinthios peccatoribus, qui nondum in peccatis regnantibus occalluerant. At ego Rappolto, excellentis judicii Theologo, consentio, cum sententia ejus non petitione principii, sed ratione nitatur. Eadem enim illa flagitia, quæ Paulus Romanis in sensum reprobum datis tri-

bue-

buerat, etiam Corinthiis illis tribuit, quos olim his sceleribus immerfos, sed postea per Dei gratiam conversos prædicat. Ulterius quidem excipit Autor disputationis de statu Induratorum : Si inter Corinthios aliqui penitus indurati fuissent, dici tamen non posse, quod etiam illi abluti, justificati & sanctificati fuerint, cum Apostolus quosdam tantum Corinthiorum conversos dicat, nec rectè à particulari assertione ad universalem colligatur. Verùm Rappoltus non ita colligit : Quidam Corinthii sunt conversi, E. omnes Corinthii sunt conversi : Sed argumentum ejus tale fuit : Quidam ex Corinthiis, & quidem ex illis ipsis, qui in reprobum sensum dati fuerant, sunt conversi, E. datur regressus ab excœcatione & induratione ad pœnitentiam. Non dicunt Theologi nostri, omnes in sensum reprobum datos actu converti, sed potius cum *Selneccero* in Commentario ad Epistolas Paulinas Part. II. pag. 190. rarò ejusmodi homines converti statuunt. Rarò autem non idem est ac nunquam, quemadmodum plerumque non idem est ac semper. Interim negant, hominibus in sensum reprobum datis, dum adhuc in vita constituti sunt, omnem pœnitentiæ & gratiæ spem denegandam esse. Certè eosdem illos Romanos, qui membra sua impuritati & iniquitati ad aliam atque aliam injustitiam præbuerant, Apostolus hortatur, ut jam conversi membra sua justitiæ consecrent Rom. VI. v. 19. Cæterum dum *Autor disputationis* de statu induratorum *Rappolti* sententiam refutat, agnoscere cogitur, quod Autor Epistolæ ad Rostescherum erraverit, qui pag. 39. seqq. *Rappoltum* pro sua sententia tanquam sibi consentientem allegavit. Ephesios quantum attinet, notamus, quod Apostolus

conversos Ephesios moneat, ut *non amplius* ambulent, ut reliqui Gentiles : Ex quo colligi potest, quod Ephesii ante conversionem suam fuerint in eorum numero, de quibus Paulus v. 19. dicit, quod ἀπηλγηκότας semet ipsos tradiderint lasciviæ, quia post conversionem non amplius in ista via ambulare debeant. Unde & *Museus* Tractat. de Conversione Disputat. 4. cap. 3. th. 66. inter peccata, a quibus fit conversio, etiam illorum duritiem reponit, quos Paulus ἀπηλγηκότας vocat, quod ex consuetudine peccandi quasi occalluerint, ut nullum conscientiae morsum, dolorem nullum ex peccatis perpetratis sentiant. Nec quicquam, quid mentis iudicium dicat, curant, sed semetipsos tradunt lasciviæ ad patranda immunditiam omnem ἐν πλεονεξία, i. e. ut *Museus* explicat, avidissime Ephes. IV. v. 19. & *Balduinus* in Casibus Conscientiæ Lib. II. cap. 10. Cas. 2. cum pag. 275. prolixè descripsisset induratos Verbi divini auditores, illisque etiam ἀπαλγησίαν illam a Paulo Gentilibus adscriptam tribuisset, sequenti pagina 276. addit, cogitandum esse huiusmodi induratis, quod verbum Dei instar ancipitis gladii pertingat usque ad divisionem animæ & spiritus non sine dolore peccatoris, sed tamen cum magno ejus fructu, si gladium hunc patienter admittat. Unde patet ex *Balduini* sententia, etiam ἀπηλγηκότας ad sensum pietatis gladio verbi divini reduci posse. Quid multis? Deus, qui non delectatur morte ullius peccatoris, etiam non vult mortem eorum, qui dati sunt in sensum reprobum & dedoluerunt. Christus, qui est propitiatio pro totius mundi peccatis, eos etiam a peccatis mundat, qui dati sunt in sensum reprobum & dedoluerunt, si ad pœnitentiam se reduci patiantur, quæ conditio jux-

ta



ta *B. D. Seb. Schmidium* in I. Epist. Johann. pag. 138. non est quibusdam possibilis, quibusdam impossibilis, sed omnibus æqualis, quia alias Apostolus luderet, quod longissimè ab eo absit. Deus, qui Apostolorum tempore omnibus ubique locorum hominibus pœnitentiam præcepit & fidem proposuit, etiam datos in sensum reprobum & ἀπειληκότητας, quotquot vel Romæ vel Ephesi vel alibi fuerunt, converti serio voluit.

## *Thesis IX.*

In altera Classe Autor disputationis sæpius dictæ thes. 29. ponit renatos totaliter induratos, in quorum numero fuisse putat Judæos illos incredulos, quibus Paulus Rom. XI. v. 7. & Johannes cap. XII. v. 40. πώρωσιν τῆς καρδίας s. duritiem cordis tribuit; At rectius *Musæus* in Tractatu antea allegato de conversione ad terminum conversionis à quo refert etiam πώρωσιν τῆς καρδίας adducto loco Ephes. IV. v. 19. nam scriptura nusquam dicit, quod illi, in quibus est πώρωσις τῆς καρδίας, converti non possint, imò potius contrariam demonstrari potest. Paulus 2. Corinth. III. v. 14. de Israëlitis dicit: ἐπώρωθησαν τὰ νοήματα αὐτῶν induruerunt corda ipsorum & tamen statim v. 16. innuit, eos converti posse. Nec alia est ratio πωρώσεως ab adversario ex Epistola ad Romanos Cap. XI. allegatæ. Nam ipse Paulus de salute eorum, quibus v. 7. πώρωσιν τῆς καρδίας tribuit, non desperavit, ut patet ex versu 14. & seqq. Undè etiam *Rechenbergius* in Disputatione de Jure Dei in domum Israël cap. I. Thes. 13. scribit, quod Paulus in Concione, quæ cap. IX. X. XI. Epistolæ ad Romanos legitur, spem recuperandæ salutis Judæis super-

peresse doceat, nec de æterna, sed tantum de temporali Judæorum rejectione agat, ut Actor. XIII. v. 46. Porro Autor disputationis de statu induratorum inter regenitos totaliter induratos eos ponit, quibus Paulus Ephes. IV. v. 19. stuporem s. ἀπαλγησίαν tribuit. At nulla ratio dari potest, cur ejusmodi hominibus omnem salutis spem denegemus. Neque conveniens videtur, quod autor de regenitis totaliter induratis agens, exempli loco adducat Gentiles, de quibus Paulus in loco allegato agit, quem ipse autor in thesi præcedente suæ disputationis de irregenitis totaliter induratis explicavit. Ulterius pro regenitis totaliter induratis illi venditantur, quibus spiritus soporis datus dicitur Rom. XI. v. 9. verum nulla ratio data est ab Autore disputationis, nec ulla dari potest, cur illi, quibus spiritus soporis datus est, per Dei gratiam à veterino peccati non evigilare possint. Et ipsum Paulum de salute Judæorum, quos veterino mentis oppressos dixit, non desperasse, ex versu 14. & seqq. ejusdem capituli manifestum est, quod *Rechenbergius* in Disputatione de Jure Dei in domum Israël, loco paulò ante allegato, expressè agnoscit, undè & *Franzius* in vindiciis suarum Disputationum de Augustana Confessione Disputat. X. de Hypocritis thes. 56. adversus Schmalzium Socinianum asserentem, quod sæpè impii ita indurentur, ut converti non possint, hunc ipsum Pauli locum urget & dicit, quod etsi Deus Rom. XI. v. 8. Judæis spiritum soporis dederit, tamen iisdem spem remissionis ibidem offerat. Idem *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Oraculo XXXI. pag. 384. ex hoc ipso loco Paulino colligit, quod etiam spiritu soporis puniti, misericordiam consequi possint. Acute  
 Dann-

*Dannhauerus* Theolog. Conscient. Part. I. pag. 310. dicit, Spiritum κατανύξεως soporantis ἀπὸ τῆς κατανύσειν vel κατανέειν Rom. XI. v. 8. non posse pervinci nisi per spiritum κατανύξεως compungentis ἀπὸ τῆς κατανύσσειν vel κατανύσειν ita dictum Act. II. v. 37. Frustra quoque *Autor disputationis* regenitis totaliter induratis eos accenset, qui cauteriatam habere conscientiam dicuntur 1. Tim. IV. v. 2. Nam prorsus insanabilem esse cauteriatam conscientiam, Theologi nostri non docent. *Dannhauerus* in Theolog. Consc. Part. I. pag. 162. inter exempla habentium ejusmodi conscientiam refert fratres Josephi & Davidem in fermento peccati constitutum. At neque David neque fratres Josephi insanabiles fuerunt. Quin etiam *Dannhauerus* Sect. II. artic. 5. pag. 309. de remedio conscientiae cauteriatæ agit, ubi in solo Satana indurationem invincibilem esse dicit, & finem magnarum calamitatum, prodigiorum, aliorumque singularium ejusmodi divinæ providentiæ actuum, à Benefico Numine intentum esse dicit conscientiae soporatae excitationem & medelam, quod repetit Part. II. Theol. Consc. pag. 58. ubi finem τῶν θείων s. singularium divinæ providentiæ operum esse dicit excitationem atque effractionem conscientiae cauteriatæ. Locus Deut. XXVIII. v. 28. pro totaliter induratis non facit, ut patet ex collatione Deut. XXX. v. 1. 2. Neque locus Psalmi LXIX. v. 24. seqq. aliquid probat. Agit enim de Judæis incredulis, qui non ob præclusum gratiæ terminum, sed propria malitiâ perierunt. Subtraxit sanè Deus tandem impiis Judæis suam gratiam, sed tamen, ut *Calovius* Tom. V. System. pag. 69. monuit, non ita Deus peccatoribus suam gratiam subtrahit, ut nullam relinquat.

Unde  
Hun-

*Hunnius* conc. 3. in cap. IV. Michæ : Es ist hier diese Lehre zu mercken/ daß Gott noch nie kein Volk auf Erden so gar verworffen / daß er allen Zugang zu seiner Gnade ewiglich demselben zugesperret hätte. Er hat ihnen die Thüre der Gnaden offenbahren lassen &c. ex quibus Hunnii verbis etiam patet, quid responderi possit ad Locum Matth. XXI. v. 43. qui ab adversario th. 33. urgetur.

## Thesis X.

De exemplis induratorum, quibus gratiæ fores jam in hac vita occlusæ perhibentur, in der Vertheidigung pag. 87. seqq. egimus. Nunc pauca tantum addimus. Ac primum observamus, absurdè Autorem disputationis thes. 31. ex Gen. VI. v. 5. probare voluisse, quod Antediluviani à Spiritu Sancto deserti fuerint. Contrarium potius Theologi nostri hæcenus unanimi consensu ex loco illo demonstrarunt, & ipse *Rechenbergius* in deutlichen Vortrage §. 33. agnoscit, quod gratia Dei apud antediluvianos usque ad eorum mortem perduraverit, conferatur etiam *Seb. Schmidii* oratio ad hunc Geneseos locum, excusa in mysterio gratiæ divinæ pag. 573. seqq. cujus sententiam etiam suam fecit *Olearius* in Programmate hujus anni pentecostali. Pharaonem proximè ante suffocationem in undis converti potuisse, rectius à *Calovio* asseritur in *Bibl. Illustr.* ad Ezech. cap. XVIII. v. 32. quam ab Autore disputationis negatur. Converti utique Pharaon adhuc in extremâ vitæ suæ horâ potuisset, nisi, ut *Selneccerus* in Epistolam ad Romanos pag. 192. monuit, Deo finaliter usque ad mortem repugnasset. Judam  
incon-

inconvertibilem fuisse, *Autor Disputationis* ex eo colligit, quod Christus vae ipsi denunciaverit & addiderit, bonum fuisse illi homini, si natus non fuisset. Verum quod *Olearius* in disputatione de Lacrymis Christi, Thes. 22. Reformatis objicientibus, Judæos ob Christi præscientiam æternum exitium evitare non potuisse, respondit, idem sibi *Autor* disputationis de statu induratorum responsum putet: aut si ista non sufficiunt, conferat etiam, quæ *Rechenbergius* in Disputatione de Jure Dei in Domum Israël Cap. 2. thes. 33. de divina præscientia disseruit. Neque etiam ex particula vae probari potest, Judam inconvertibilem fuisse. Nam Christus etiam æternum vae illis denunciat, per quos scandalum venit, addens, melius ejusmodi homini fore, si in profundissimo mari submergatur: neque tamen omnes illi sunt inconvertibiles, per quos scandalum venit. Et si Judas ob illam Christi prædictionem inconvertibilis fuit, dicendum erit, quod nunquam convertibilis fuerit, quia Spiritus Sanctus jam in Vet. Testamento Judæ damnationem prædixit, ut *Tarnovius* ad Psal. 109. & alii observarunt.

### *Thesis XI.*

Patet ergo, perperam Autorem disputationis de statu induratorum sibi persuasisse, quod in scripturâ dentur indurati ante mortem omni Dei gratia privati. Occurrunt verò & alia minus probanda in hac ipsa disputatione, ex quibus aliqua breviter notabimus. Dicit in thesi 18. *Meisnerum* in Anthropol: Decad. I. Disput. 9. pag. 295. rectè observasse, quod

D  
non

non omnes reprobi sint indurati, quamvis omnes indurati sint reprobi. At verò falsissimum est, quod omnes indurati sint reprobi. Paulus enim Rom. XI. v. 14. sperat, aliquos ex induratis Judæis ministerii sui ope salvatum iri. Quando autem *Meisnerus* omnes induratos reprobos esse dicit, per induratos intelligit peccatores in Spiritum Sanctum. Nam in verbis sequentibus pag. 296. omnium horrendissimum & gravissimum peccatum esse indurationem, & quidem illud ipsum, quod Matth. XII. v. 32. blasphemia in Spiritum Sanctum dicitur. Cæterum in iisdem Disputationibus Anthropologicis agnoscit *Meisnerus*, Deum tolerare induratos & nolle perire, & ad pœnitentiam impellere pag. 404. nec indurationem excludere Dei propositum de salvandis induratis, cum eum in finem eos toleret, ut resipiscant, Decad. II. pag. 350.

## *Thesis XII.*

In Thesi 22. perstringuntur, qui cum Socinianis Mosaicas & Propheticas comminationes de pœnis temporalibus exponere nunc audent. Sed absona est illa Socinianorum & Nostratium Theologorum comparatio. Sociniani enim æternos impiorum cruciatus negant, ideoque nullas Dei comminationes de æternis pœnis explicare possunt: Nostrates autem æternas impiorum pœnas haut negant, & rectè tamen faciunt, quod nonnullas Mosaicas & Propheticas comminationes de pœnis temporalibus interpretantur. Sæpissimè enim Deus in Mosaicis & Propheticis scriptis bellum, pestem, famem & alia temporalia mala minatur.

tur.

tur. Neque tamen Nostrates negant, quod Deus etiam sæpissimè per Mosen & Prophetas impiis æternas pœnas comminetur. Interim rectè addunt, quod istæ comminationes fiant sub conditione finalis impenitentia, neque à Socinianis & termini peremptoriū Bõsiani assertoribus persvaderi sibi patiuntur, dari homines in viventium numero, quibus Deus fores gratiæ ita præcluserit, ut æternas pœnas evitare non possint. Absonum quoque est, quod Autor disputationis in eadem thesi Stoicos Philosophos, qui jacturam bonorum fortunæ homines infelices reddere negarunt, sapientiores esse Christianis quibusdam interpretibus dicit, quasi darentur interpretes Christiani, qui negarent, spirituales & æternas pœnas esse graviores temporalibus. Et qualis quæso est, quæ ab Autore neçtitur, consequentia? Spirituales pœnæ sunt graviores temporalibus. E. nulla Mosaica & Prophetica comminatio de temporalibus pœnis explicari debet. Talem Consequentiam à Sapientibus Stoicis nunquam ego probatum iri censeo.

### *Thesis XIII.*

Desertio Dei in thesi 24. distingvitur in totalem & partialem, & fundamenti loco substernitur discrimen peccatorum inconvertibilium & convertibilium. Sed hoc est principium petere, & idem per idem probare. Falsissimum insuper est, quod promissiones gratiæ comminationibus adjectæ non debeant ad eos applicari, quos Autor disputationis excludi vult, quasi potestatem haberet excludendi, quos Deus non ex-

clusit. Promissiones illæ gratiæ toti cœtui factæ sunt, quæ si ad induratos non pertinerent, mendax Deus & hypocrita dicendus foret. Sed ego potius eos mendaces arbitror, qui Deum induratis verba dare fingunt, quasi Verbo quidem suo induratos promissâ gratiâ ad pœnitentiam invitaret, sed tamen nollet, induratos sibi hanc promissionem applicare. *Damasceni* autem locus in eadem thesi allegatus non distingvit inter desertionem impiorum partialem & totalem; sed inter desertionem piorum & impiorum. Unde *Pelargus* in notis ad Damascenum prioris desertionis exempla ponit Christum & Davidem, posterioris Saulem & Pharaonem. Præterea etiam impios Damascenus non ita à Deo desereri dicit, ut omni gratia priventur, sed propria malitia eos perire affirmat, Deo omnia, quæ ad salutem eorum faciunt, faciente.

### *Thesis XIV.*

Quæ in thesi 33. ad objectionem ab efficacia verbi divini depromptam respondentur, alibi in der *Vertheidigung* p. 46. jam discussa sunt. Nec melioris notæ sunt, quæ ad objectionem à gratia assistente defunctam regeruntur & ex iis, quæ hæctenus dicta sunt, haud difficulter diffilari possunt. Testimonia denique Theologorum nostratium disputationi de statu Induratorum passim inspersa, pleraque auctorem nihil juvant. Nonnulla ipsi adversantur, quæ est *Johannis Schmidii*, cujus loco *Balduinus* nominari debuisset ex *Comment.* in Zachar. Cap. VII. adductum




etum, quod legitur in thesi 29. Nonnulla sunt tam horrida, ut ipse Autor ob nimiam duritiem ea integra exhibere omittat, quale est Brentianum de filiis Eli adductum th. 31. Denique his Theologorum Testimoniis alia eorundem testimonia apponi possunt, qua de re alibi plura dicendi locus erit.



Eam quod dicitur in fine huius  
 horum de his quibus dicitur in fine  
 exhibere oportet, quare est brevitatis de  
 ad hoc in h. a. Denique hic Theologorum  
 Theologorum hic eorumdem theologiae  
 pollunt de re ubi plura dicentur  
 locus erit

TERMINO SULLUTIS

PERPARTITIO



Sicut in fine huius  
 Sicut in fine huius

Sicut in fine huius  
 Sicut in fine huius

Sicut in fine huius  
 Sicut in fine huius

Sicut in fine huius  
 Sicut in fine huius

RESPONSO

Sicut in fine huius  
 Sicut in fine huius

3.A.10205

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!


SLUB DRESDEN



3 1715166

3.A.10205

